

Universitätsbibliothek Wuppertal

Titi Livii Patavini Historiarvm Libri Qvi Svpersvnt Omnes

Livius, Titus

Mannhemii, 1779

Epitome libri octavi

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-1259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-1259)

E P I T O M E
LIBRI OCTAVI LIVIANI

*L*ATINI cum Campanis defecerunt, & , missis legatis ad senatum, conditionem tulerunt, ut, si pacem habere vellent, alterum ex Latinis consulem facerent. Qua legatione perlata, prætor eorum Annius de Capitolio ita prolapsus est, ut exanimaretur. T. Manlius consul filium, quod contra edictum adversus Latinos, quamvis prospere, pugnasset, securi percussit. Laborantibus in acie Romanis, P. Decius, tunc consul cum Manlio, devovit se pro exercitu: & , concitato equo quum in medios hostes se intulisset, interfectus, morte sua Romanis victoriam restituit. Latini in deditionem venerunt. T. Manlio in urbem reverso nemo ex juventute obviam processit. Minucia virgo Vestalis incesti damnata est. Ausonibus victis, in oppidum ex iis captum Cales colonia deducta est. Item Fregellæ colonia deductæ sunt. Veneficium complurium matronarum depre-

deprehenſum eſt : quarum plurimæ ſtatim
 epotis medicaminibus perierunt. Lex de
 veneficio tunc primum conſtituta eſt. Pri-
 vernatibus , quum rebellaffent , victis civi-
 tas data eſt. Palæpolitani , bello & obſi-
 dione victi , in deditiōnem venerunt. P.
 Publilio , qui eos obſederat , primo &
 imperium prolatum , & pro conſule decre-
 tus triumphus. Plebs nexu liberata eſt
 propter L. Papirii creditoris libidinem ,
 qui C. Publilio debitori ſuo ſtuprum in-
 ferre voluerat. Quum L. Papirius dicta-
 tor reverſus in urbem ab exercitu eſſet
 propter auſpicia repetenda , Q. Fabius
 magiſter equitum , occaſione rei bene ge-
 rendæ invitatus , contra edictum ejus
 proſpere adverſus Samnites pugnavit. Ob
 eam cauſſam quum dictator de magiſtro
 equitum ſupplicium ſumturus videretur ,
 Fabius Romam profugit : & , quum
 cauſſa parum proficeret , populi precibus
 donatus eſt. Res præterea contra Samni-
 tes proſpere geſtas continet.